Quæstio XXVIII.

Columna in templo Dei explicatur de Juſtis viatoribus; præcipuè de Doctoribus, ac Prælatis in Eccleſia militante.

219. Ticon. Andreas. Hymo. Albert. D. Thom.

SEcunda ſententia; & valdè communis explicat hanc columnam in templo Dei de juſtis viatoribus, præcipuè de bonis Prælatis, ac ſanctis Doctoribus in Eccleſia militante. Ita Ticonius, Andræas Cæſarienſ Aretas, Haymo, Beda, Albertus Magn. D. Thomas D. Anſelm. Alcazar, Cornelius à Lapide, & alii.

220. Ait ergo Chriſtus Dominus, *qui vicerit* tentationes vitiorum Dæmonis, ac perſecutorum *faciam eum columnam*, id eſt, valdè fortem, magnum, potentem doctrina, ac ſanctitate, non ſolùm pro ſeſe, etiam pro aliis ſuſtentandis, & corroborandis, & quaſi Eccleſiæ meæ firmamentum, ac fulcimentum conſtituetur: Cùm ergo dicit Dominus, Faciam, non ſimpliciter faciendo Prælatum, Doctorem ſive Eccleſiæ operarium, ſed faciam tanta excellentia, ſanctitate, & doctrina, ut maximè emineat, & portet plurimos, eorum nutantem fidem ſuſtentando Chriſtianam pietatem fulciendo: multóſque ad fidem adducendo. Hinc Paulus ipſam Eccleſiam militantem appellat columnam, & firmamentum veritatis, 1. Timoth. 3 n. 15. *Ut ſcias, quomodo oporeat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis.* Sìcque nomine columnarum viri Apoſtolici inſigniri ſolent: Ad Galat. 2. num. 9. *Cùm cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Jacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi & Barnabæ.*

1. Timot 3.

Galat 2.

221. Nec contra hanc ſententiam obſtat id quod dicitur in textu, *foras non egredietur amplius*, quia ſermo eſt de confirmatis, ac finaliter perſerverantibus in gratia, ut dixi in Expoſitione; in qua totum hunc locum juxta hanc ſententiã explanavit quod nunc altiùs eſt examinandum.

Præoccupatur objectio.

222. Primò, dicitur huic Epiſcopo Philadelphiæ, *Tene quod habes, qui vicerit, faciam illum columnam.* In quo videtur difficultas in dictis, qui tenet, quod habet, jam columna eſt; quomodo ergo Dominus ait, quòd faciet illum columnam; Nam id, quod quis faciendus eſt jam non eſt. Reſpondeo, *Tene, quod habes*, nempe tuam juſtitiam, ſanctitatem, vincendo tentationes, ac carnis blandimenta; tunc ait Dominus, *faciam eum columnam*, robur, ac fulcimentum cæterorum: priùs enim unuſquiſque in ſe juſtitia ac virtute componendus, ac ornandus eſt, ut inde fiat columna, ac firmamentum aliorum; ut quis alios doceat, priùs in ſe juſtus, ac ſanctus ſit. Aretas; *Hoc eſt*, ait, *columna in templo Dei fieri, ſiquidem qui vicerit adverſarias poteſtates; columna, & firmamentum veritatis conſtituitur, & ipſe firmiter, & immutabiliter gaudens, alios fulciens, ne in bono excidant à ſua ſede.*

Ut quis alios doceat: priùs in ſe ſit virtute roboratus.

Aretas.

223. Secundò Richardus Victorin. *Sicut columna in templo*, ait, *ita ipſe nempe Epiſcopus Philadelphiæ, & quilibet alius, debet eſſe firmus per fidem, erectus per intentionem, ſublimis per contemplationem, & alios quidem ſuſtentet verbo conſolationis, alios ſuffragio orationis, alios exemplo actionis; ſit etiam columna lapidea per firmitatem fidei, aurea per charitatem.* Albert. Magn. *Prælatus ſit rectus in judiciis, fortis in adverſis.* Columna, ut bene ædificium ſuſtentet; debet eſſe benè fundata, viſu ſpecioſa, recta, & non curva, in altum erecta, ac eximiæ altitudinis, talis ſit Prælatus firmitate fidei, exemplo, intentione, contemplatione, ac ſublimitate doctrinæ, & ita undique ſit omnibus virtutibus perfectus, & abſolutus. In hujus rei confirmationem notar Pererius in columna octo conſiderari, & laudari poſſe, ſcilicet rectitudinem, altitudinem, craſſitudinem, firmitudinem, rotunditatem, lævorem, colorem, & materiam, quæ facilè accommodari poſſunt Prælato, Doctori, ac cuilibet ſancto.

Albert. *Prælatus ex omnibus ſit perfectus.*

Peret.

Tertiò, Ioachimus Abbas, *Aptè, & competenter Prælati aſſimilantur columnæ templi; quia columna lapis eſt altus, & ad ſuperiora levatus, ita ut non tam ea, quæ infra, quàm ea quæ ſurſum ſint, contemplari, & reſpicere videatur; & quòd eſt majus, ita præ altitudine, & rectitudine ſua tangit ſuperiora, ut tamen ſuppoſitum tectum infatigabiliter portet. Qui ergo pro dono gratiæ, & merito patientiæ ſuæ, rectores animarum conſtituendi ſunt, ut inter procelloſos turbines, ſuppoſitam fabricam infatigabiliter portent ad ſimilitudinem columnæ marmoreæ quæ multis tunſionibus expolitur, habebunt ſe.* Valdè mirum quòd Prælatus columnæ aſſimiletur; nam columna dura eſt, & hæret terræ: Prælatus debet eſſe lenis & benignus, & totus hærere cœlo; tamen aptiſſimè, hic Antiſtes cum columna confertur; nam columna ex parte inferiori, terram tangit, & ei firmiter adhæret, tamen ſe tota ſurſum erigit & puriſſima, ac graviſſima eſt, ut ædificii machinam ſuſtentet; & cùm ſit rudis, multis tunſionibus, ac malleorum ictibus politur, & cùm ſit rotunda multis tempeſtatibus expoſita, totum ædificium ſuſtentat: bonis Prælatus licet ſit corpore ac vita activa, in terra, tamen intentione, ac contemplatione totus ſit in Cœlo; & duriſſimus, ac fortiſſimus ſit pro ſuſtinenda ſua Eccleſia ſuiſque ovibus; pro eiſque multos labores, ac tentationes ſufferens, multáſque tentationum turbines patiens pro ſui muneris onere portando, & tamen inter tot ac tam adverſa ſemper immobilis, ac firmus permaneat, ut columna.

224. Ioach.

Prælatus etſi corpore ſit in terra, corde ſit in cœlo.

Prælatus laboribus ſit int... immobilis ſ... ſtat.

225. D. Thom.

Quartò, Angelicus doctor. *Faciam eum columnam; in hoc promittit*, ait, *quòd faciet talem aliis utilem, ſecundò, quòd ſe immobilem, & firmum, ſe & alios documento, exemplo, & ſuffragio ſuſtentantem.* Columna non ſibi, ſed potiùs aliis eſt utilis, ſuſtentat enim ædificia ac tectum domus fulcit, ne corruat, ut indè aliis ſit ad habitandum; ecce cur Dominus vult Epiſcopum eſſe templi columnam, nempe, ut non tantùm ſibi, ſed potiùs aliis proficiat: ex quo infert Angelicus Doctor in quanta veneratione ſunt habendi viri ſpirituales, cùm per eos alii fulcimentum habeant, ne in lapſum ruant. *Ecce*, ait Sanctus Doctor, *quanta veneratione digni ſunt viri ſpirituales, quia per eos Dominus alios ſuſtentat, quod eſt amplius meritum, & aliis commodum.*

Prælatus non ſibi, ſed aliis ſit.

226. Geneſ. 4.

Quintò, Rupertus in præſenti ſic ait: *In iſto gradu vincere eſt, quidquid per iſtud oſtium Scripturarum invenerit; ad aliorum ædificationem proferre. Quia qui ſic vicerit, faciam, inquit, illum columnam in templo Dei mei. Digna remuneratio victoris hujuſmodi, ut qui gratiam hanc habens ſcripſit, ac docuit, unde fides Eccleſiæ roboretur, columna ſit in templo Dei. Et foras non egredietur amplius. Quãdo in iſto odio eſt, ſolicitus ſit ne labatur, at ubi intus tanquam columna fuerit ſtabilitus, non erit cur timeas, quia foras non egredietur ampliùs, nec titubabit pes ejus.* Dixit Dominus huic Epiſcopo Philadelphiæ ſuprà n. 8. *Ecce dedi oſtium apertum coram te.* Poſitus fuit nempe juxta oſtium apertum Scripturarum, ut ibi dixi, ut eas intelligeret, & interpretaretur, quod munus valdè neceſſarium eſt in Eccleſia Dei; & ſtatim poſt pauca nunc ſubdit. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur ampliùs.* Qui ſtrenue operam dat Scripturas evolvendo ad id perveniet, ut jam non in oſtio ſit, ſed intus in templo Dei, ut firmiſſima columna totum ædificium Eccleſiaſticum ſuſtentans ipſũ. *Ut qui hanc gratiam habens ſcripſit, ac docuit, unde fides Eccleſiaſtica roboretur; columna ſit in templo Dei.* Qui enim ſic incumbit ſtudio litterarum, ut ſibi ac aliis proficuus ſit, tunc aſſumitur à Deo in columnam firmiſſimam domus ſuæ; & cùm hæc columna maximè neceſſaria ſit ad fulcimentum domus Dei, ipſe Dominus maximè invigilat ſuper ejus firmitatem: *Quia foras nõ egredietur amplius, nec titubabit pes ejus* ſed intus Dei dono firmiſſimè perſeverabit.

Qui ſtudio litterarum ſibi & aliis proficit, columna eſt in templo Dei.

227. Iſai 49.

Symmach. Hebraïc.

Per Iſaïam cap. 49 num. 16 ait Deus civitati Sion, ſeu viris Eccleſiaſticis: *Ecce in manibus meis deſcripſi te: muri tui coram oculis meis ſemper.* (Deſcripſi te) legit Symmach. *formavi te*; Hebraïcus *exaravi te.* Quænam connexio habet ſcriptura in manibus Dei cum muris civitatis Sion: Quando Sion eſt murus, tunc dicitur ipſa ſcripta manibus Dei. Per manus Dei vires ejus; ac potentia intelliguntur, ut notat Procopius in præſenti, ſic dicitur Pſalm. 12. *Opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Per muros autem interpretatur Procopius ad cap. 2. Iſai. verſ. 15. ipſas ſcientias veras, ac ſolidas; & ſic ait, *Murus enim ars eſt ipſa diſſerendi, eos qui dogmata diripere, & diſſolvere conantur, propulſans. Inde & urbis Hieroſolymitanæ muri in Domini manibus deſcripti eſſe dicuntur.* Tunc muri, ſeu ſcientiæ Hieruſalem dicuntur ſcripti in manibus Domini, quando ipſæ ſcientiæ ac intelligentia ſcripturarum ſe habent tanquam muros, ad cuſtodiendam, ac defendendam Eccleſiam; quod tam magnum opus eſt ut peculiariter dicatur opus manuum Dei, ad illúdque deſcribendum, efformandum, ac exarandum inſigniter Dei manus conveniunt ac applicantur, vir qui ſuâ doctrinâ eſt murus Eccleſiæ, ut magnum Dei opus, habetur: Et dicitur, *coram oculis meis ſemper.* Et ſic Dominus in tali ſcientia, quæ eſt ad tutamen, ac defenſionem Eccleſiæ complacet, ut ad illam oculi Domini alliciantur, ac trahantur, ut dicatur, *coram oculis meis ſemper.*

Vir doctus Eccleſiam ...

Ad explicandum excellentiam, ac magnitudinem Eccleſiæ militantis ſub nomine ſponſæ multis figuris, ac tropis utitur Divinus ſponſus, ait de illa, quòd illius oculi ſint tanquam columbæ; capilli ſicut greges caprarum; dentes ſicut greges tonſarum, labia ut vitta coccinea, genæ ſicut fragmen mali punici. Tandem de ejus collo, ait: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium,* cap. 4. num. 4. Divina ſponſa tota lenis, ſuavis ac benigna, quid ergo habet ipſa cum turri, cum propugnaculis, cum clypeis ac omni fortium armatura? quid tenera virgo cum tanto armorum apparatu? deinde quid ad hæc habet collum ſponſæ; cur non potiùs caput, quod in ſummam partem corporis exurgit, cum turri confertur? In collo, in quo eſt guttur, ſunt vocis fundamina; non ergo mirum, quòd tot propugnacula, tot arma, & munimenta ibi inveniantur? nam ejus eloquium ſacrum per ſuos Doctores, ac magiſtros eſt tanquam turris, propugnaculum, clypeus, ac omnis armatura ad ejus munimen, & cuſtodiam contra omnes hæreticos, ac adverſarios D. Greg. Papa homil. 15. in Ezechiel, *In collo guttur*, ait: *in gutture vox eſt. Quid ergo per collum ſanctæ Eccleſiæ, niſi ſacro ejus eloquia deſignantur? In qua dum mille clypei pendere memorantur, per hunc perfectum numerum, numerus univerſus oſtenditur, quia univerſa noſtra munitio in ſacro eloquio continetur. Ibi quippe ſunt Dei præcepta, ibi exempla juſtorum, &c. Quot illi præcepta ſunt, tot peccati noſtri munimenta.*

Cant. 4.

Scientia Scripturarum validiſſimũ Eccleſiæ tutamen, ac munimen.

D. Greg.

Quæstio XXX.

Quare ante fores templi Salomonis erant duæ columnæ, nunc verò in templo Dei una tantùm apparet?

229. Viegas. Alcazar. 3. Reg. 7.

SAlomon ante fores templi poſuit duas columnas, de quibus late hic agunt Viegas ſect. 6. Alcazar hic ann. 1. Hæ autem duæ columnæ, ut patet ex 3. Reg. cap. 7. à num. 15. & 2. Paralip. 3. & 4. una erat à dextris, altera à ſiniſtris; ambæ erant ex ære Unaquæque habebat altitudinem cubitorum 35. uſque ad capitulum uniuſcujuſque ambitus in rotundum erat 12. cubitorum; intus verò erant ſtrictæ, ſeu excavatæ, in capitellis erant ſpecies catenarum, & retis, ex eiſque malogranata pendebant unumquódque capitellum in lilia deſinebat.

230. Pſal. 74. Beda.

Cùm per columnas, juſti & ſancti ſignificentur; juxta illud Pſa. 74. n. 4 *Ego confirmavi columnas ejus.* Pro quo late videndus eſt Beda lib 8. de templo Salomonis, cap. 18. Nam materia indicat firmitatem in bonis operibus, rectitudo intentionem, altitudo contemplationem; rotunditas æqualitatem juſtitiæ; cùm eſſent ſtrictæ, ſeu excavatæ, mortificationem, ac humilitatem denotabant; duo capitella, totidem teſtamenta quorum meditationi, & obſervationi ſubmittendum eſt corpus, & anima; ſpecies catenarum, retiſve ſimilitudo in capitellis varietatem virtutum, variùmque ordinem Sanctorum indicabant; malogranata cuſtodiam internarum virtutum, & concordiam charitatis; dèſinentia in lilii florem capitella, beatitudinis amœnitatem innuebant. Iſtæ autem columnæ erant in limine templi; quia, ut ait D. Hieronymus, *per ſanctos ingredimur ad Sancto Sancte*

Columnæ ſignificant juſtos, per quos in cœlum intramus.

D. Hieron.

Sanctorum quorm doctrinæ ad Chriſtum noſter introitus eſt.

231. Tota quæſtio eſt, cur in veſtibulo templi Salomonis erant duæ columnæ; hic verò una tantùm ſit præcipue cùm D. Hieron agens de templo Salomonis dicat: *Iſtæ autem columnæ duæ, erant de quibus in Apocalypſi dicitur; qui vicerit faciam eum columnam in templo Dei mei: & Petrus & Ioannes Columnæ appellantur Eccleſiæ.* Unde communiter Recentiores Viegas, Alcazar & Cornelius,& Mag. Ioan de la Haye tenent, quod hic in præſenti alluditur ad illas duas columnas Salomonis; & quamvis illæ eſſent duæ,hic verò una ſit, facilè ab hoc ſe expedit Alcazar dicẽs, quod hæc columna Apoc. tantùm reſpiciat unam columnam Salomonis, quæ dicebatur *Iachin*, id eſt ſanctitas de quorum nomine ſtatim dicam in hac quæſtione.

D. Hieron. — Virgas. Alcazar. La Haye.

232. Dico quod hæc una columna illas duas reſpiciebat, & ad illas hic alluditur, frequenter virtus ac juſtitia unius juſti per multas figuras, ac allegorias denotantur in Scriptura, ſic anima juſti in Cantic. Cant. dicitur turris eburnea, turris David, tabernaculum Salomonis, currus Pharaonis quadrigæ Aminadab; & Anguianus in Pſal. 74. verſ. 4. materias columnarum collectas ex Scripturis ingenioſè accomodat ad juſtorum dona *Columnam nubis*; 2. Eſdræ c. 9. n. 12. ad donum Timoris. *Columnam auream*, Eccleſiaſt 26. n. 23. ad donum pietatis. *Columnam argenteam*, Cantic. 3. n. 10. ad donum ſcientiæ. *Columnam ferream*, Jerem. 1. n. 8. ad donum fortitudinis, *Columnam fumi*, Judic. 20. n. 40 ad donum conſilii. *Columnam marmoream*, Cantic. 5. n. 15 ad donum intellectus.

Anguiar. — 2. Eſdr. 6. — Eccleſ. 26. — Cantic. 3. — Jerem. 1. — Judic. 20. — Cantic. 5.

233. Aliter Lorin ad citatum locum Pſalmi. *Ego confirmavi columnas ejus.* Sic ait fideles eſſe columnas, quia debent eſſe refecti per fidem, erecti per ſpem, ferventes per charitatem ad ſimilitudinem columnæ nubis. Exod. 3. n. 22. quia fides, ſicut illa habet obſcuritatem; ad ſimilitudinem *Columnæ fumi.* Judic. 20. n. 4. quia ſpes, ſicut fumus ex igne, ita ille ex igne charitatis provenit ad ſimilitudinem *columnæ ignis.* Sap. 18. n. 3. quia charitas exardeſcit in corde.

Lorin. — Exod. 13. — Judic. 20. — Sap. 18.

234. Secundò, in templo Salomonis columnæ duæ, in templo Chriſti una Quia totum teſtamentum vetus in duobus continebatur, in lege, ac Prophetis Sic ait Chriſtus, Matth 7. n. 12. *Hæc eſt enim lex, & Prophetæ.* Similiter c. 11. n. 13. & cap. 22. n. 40. Luc 16. n. 16. Lex includebat quinque libros Decalogi, Prophetæ reliquos omnes, ut dixi tom. 2. in Evang. 18. num. 56. At teſtamentum novum, totum in uno Evangelio fundatur. Hinc Petr. in Transfigur. Moyſi, & Eliæ tanquam legi, & Prophetæ offert duo tabernacula diſtincta; at Chriſto D. unum, Matth. 17. n. 4 Quia lex Chriſti in uno Evangelio conſiſtit. Hinc Salomon in templo ponit duas columnas quia lex vetus in duabus, ſcilicet lege, & Prophetis nitebatur: at in templo Chriſti eſt una columna, quæ in uno Evangelio radicato in una charitate ſtabilitur.

Matth. 7. — Matth 11. — Matth 12. — Luc 16. — Matth. 17. *Perfectio quæ in lege veteri in multis dividebatur, in lege gratiæ in uno unitur.*

235. Tertiò, ante fores templi Salomonis erant duæ columnæ; at in templo Dei una eſt columna, quia non tanta perfectio exoptatur in his, qui foris ſunt, ac in illis, qui ſunt intra Dei templum, ut in uno Eccleſiaſtico, ac Religioſo; nam multæ perfectiones, quæ per varios ſæculares ſunt diſperſæ & diviſæ, in uno Eccleſiaſtico, ut ſit columna in templo Dei, debent eſſe unitæ.

Qui ſunt intra Dei templum, perfecti ne emineant,

236. Quartò, quia ut dixit Chriſtus, Joan. 10. n. 10. *Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Tam abundanter largiuntur dona cœleſtia in lege gratiæ, ut quæ olim per multos dividebantur, nunc in uno juſto, omnia ſunt unita, & conflata, & ideò tota perfectio quæ in lege veteri in duabus columnis dividebatur, nunc in lege nova reperitur.

Joan. 10. — *Gratia in lege nova abũdantior.*

237. Quintò, Eucherius, & Angelomus, *Factæ ſunt duæ columnæ, atque ita diſpoſitæ in proſperis, & adverſis.* Columnæ, quas Salomon erigit, duæ ſunt, una in proſperis, altera in adverſis: At nunc ait Chriſtus, *qui vicerit faciam eum columnam in templo Dei mei.* Columna poſita à Deo in templo ſuo una eſt, juſtus enim quem Deus ponit in Eccleſia ſua, unam, & eandem conſtantiam retinet in omni caſu, & ſi communiter homo valdè diverſus ſit in proſperis, & in adverſis, tamen juſtus à Deo datus, hanc ebibit generoſitatem, ut æquo animo ſit in proſperis, ac adverſis; fortunæ enim alternatione nulla in eo alternatio viſitur ac agnoſcitur. Albert. Magn. *Faciã eũ columnã, ut ſit rectus in judiciis, fortis in adverſis*, ſcilicet etiã in proſperis.

Eucher. Angelom. — *Juſtus in proſperis, & eandem habet conſtantiam.* — Alb Magn.

238. Sextò, Duæ columnæ in templo Salomonis, una à dextris, & vocabatur *Iachin*, id eſt firmitas; altera à ſiniſtris, & dicebatur *Bos* id eſt, robur. Ecce utraque idem nomen ſecundùm interpretationem ſortitur, & ideo in templo Dei eſt una columna, utraque fortitudinem tenens ſcilicet robur fidei, & operũ Angelom. in 3. libro Regum. *Aptè*, ait *ſimili vocabulo ambæ cenſebantur columnæ, cum una firmitas altera in robore dicta eſt, ut una fidei, & operis fortitudo cunctis ineſſe Doctoribus monſtraretur*; vel quia in juſto debet eſſe duplex fortitudo, interna & externa, una in mente, altera in manu, ac opere externo De illuſtri muliere decantatur, *Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſuum*, Prov. 31. n. 17. Duplex fortitudo in ea celebratur in lumbis, & in brachio. In lumbis interna ſcilicet, ut exponunt D. Auguſt. ſerm. 45. Beda, Salonius, Hugo, nam in lumbis origo eſt luxuriæ; in brachio verò declaratur robur ad laboris exercitium; ſeu ad opera.

In juſto duplex fortitudo fidei, & operis. — Angelum — Prov. 31. — *Fortitudo actione interna, & externa.* — D Auguſt. Beda.

239. Septimò, Alcazar, Cornelius à Lapide contendunt has duas columnas Salomonis fuiſſe quaſi trophæa victoriarum Davidis, ut dicam quæſt ſequenti: ſignificabant autem hæ duæ columnæ ſanctitatem & ſapientiam jungendas eſſe in Eccleſia Chriſti; nam una ex illis dicebatur *Bos*; altera *Iachin*, ex radice Hebraïca, *Bos* pertinet ad ſignificatum ſapientiæ; *Iachin* ad ſignificatum ſanctitatis. In Eccleſia Chriſti, & in vero ejus miniſtro conjungenda erat ſapientia cum ſanctitate.

Sapientia conjungitur cum ſanctitate.

240. Ait Regius Vates Pſalm. 118. num. 1. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Et ſtatim ſubdit, *Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus*; hoc eſt, qui exquirunt, qui laborant inveſtigando, rimando ſacras ſcripturas, ut explicat Paulus Burgenſis Perpendendo ſeriem textus, *Beati immaculati in via*: Et ſimul ponitur, *Beati qui ſcrutantur*; qui incumbunt inveſtigando ſacras ſcripturas Conjungitur vita immaculata, cum inveſtigatione, & agnitione Scripturarum: Solùm illi, qui ſunt immaculati, ac puri in vita Scripturas valent intelligere,

Pſal. 118. — Paul. Burg.

D. Auguſt. — intelligere, & agnoſcere. D. Auguſt. *Non mihi videtur, aliud his verbis beatitudinis genus commemoratum, quam illud, quod antea dictum eſt: nam ſcrutari teſtimonia Domini, & eum in toto corde exquirere, hoc eſt immaculatum in via, & in lege Domini ambulare.*

241. De Ioſeph decantat ipſe David, Pſalm. 104. num. 17. *In ſervum venundatus eſt Ioſeph; Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertranſiit animam ejus donec veniret verbum ejus. Eloquium Domini inflammavit eum, miſit Rex, & ſolvit eum.* Satis vulgaris eſt hiſtoria Ioſeph; A fratribus venditus eſt, & à Putiphare emptus, & ab ejus uxore amatus; & quia petulanti fæminæ non acquievit, in carcerem ut adulter conjectus eſt, cùm ibi detentus eſſet ſanctus juvenis ſapientiæ documenta exhibuit duobus Pharaonis ſervis; quo agnito ſtatim Rex ſolvit eum. Sed cur ille, qui ut adulter conjectus erat in carcerem, ſic à Rege ſolvitur? Cur magis non damnat crimen? Seu cur cauſa non potius examinatur, ac ventilatur, ſed tam citò ſolvit eum? Solutionis cauſam indicant illa verba: *Eloquium Domini inflammavit eum.* Ubi ſapiens eloquium præbuit, quo ſervis Regis eventus ſuos prænuntiavit, ſic hominem ignivit, ac inflammavit, ut in eo nulla macula videretur, ſed omnino immaculatus appareret, ut in carcere ampliùs non eſſet detinendus; ſicut enim ignis non admittit ſecum ſordes in auro; ſic ſapientiæ verba non admittunt maculas in anima; ac proinde cùm ejus ſapientia declarata eſt, etiam & innocentia manifeſtata eſt. D. Bruno ibi, ſic ait *Eloquium Domini, id eſt verbum interpretationis à Domino ipſi datum inflammavit Ioſeph, hoc eſt, comprobavit eum ſanctum eſſe qui antè adulter dicebatur; à ſimilitudine auri puri, quod inflammatur, & per flammas purum eſſe comprobatur; & tunc miſit Rex & ſolvit eum.*

Pſalm. 104. — *Sapientia cũ puritate, ac innocentia vitæ conjuncta.* — Bruno

Ait Spiritus ſanctus Eccleſiaſtic. 27. num. 12. *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol: nam ſtultus ſicut luna mutatur.* Ecce ſapiens aſſimilatur ſoli, ſtultus lunæ, Ex qua radice talis provenit comparatio? Sol lucet, & ardet calore; at luna, etſi lucem mittat, minime calefacit. Juſtus, ut ſol lucet doctrinâ, & charitate, ac juſtitia calefacit & ardet; at ſtultus, ut Luna, ſi videatur micare ſcientia, minimè tamen charitate calefacit, inde ejus ſapientia non eſt ſapientia, ſed ſtultitia mutationi, ac vacillationi ſubjecta. D. Bernard. ſerm. 3. de verbis Iſai. *Luna, ut aiunt, habet abſque fervore ſplendorem, ſed ipſum mutuatur à ſole; ideóque tam frequenter, imò & ſemper mutuatur, nec unquam in eodem ſtatu permanet. Sic profectò ſtultus ut Luna mutatur, ſapiens permanet ut ſol. Ille, inquam, ſtultus, qui in decore ſuo perdidit ſapientiam, id eſt, qui friguit in ſplendore.*

Sapientia ſine ſanctitate ſtultitia eſt — D. Bernard. — D. Bernard.

QUÆSTIO XXX.

Quare in columna templi Eccleſiaſtici ſcribitur à Chriſto nomen Dei?

243. AIt Chriſtus in præſenti, *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei.* Circa hoc verbum, *Scribam*, quod in præſenti eſt examinandum, multa ſunt notanda; & primò, non ait Chriſtus, nominabo, ſed *Scribam ſuper eum nomen Patris mei.* Ut denotaret ſingulare, ac eximium beneficium Dei eſſe, nuſquam amittere nomen filii Dei, ſed ſemper illud retinere illóque vocari perpetuò. Albertus Magn. ſic ait: *Dicit, ſcribam, quod enim dicitur citò tranſit, quod ſcribitur diu manet; idem eſt ergo ac ſi dicat in ſempiternum tribuam, quod dicitur, & ſit filius Dei.*

Scriptura perpetuitaẽ denotati. — Alb. Magn.

244. Secundò, quo calamo, quove inſtrumento tale ac tantum nomen, quòd Dei filius ſit, & nominetur, ſcribendum ac exarandum eſt? Sanè gratia, ac miſericordiâ ipſius ſcribentis. Sic ait Ambroſ. Ansbertus. *Quo titulo, vel calamo, ſuper victorem nomen Dei ſcribi à filio putamus? Niſi gratia amborum ſpiritus.*

Gratia Dei ſcribitur in nobis bonum — Ansbert.

245. Tertiò, in quonam ſubjecto ſcribendum eſt tam honorificum Dei nomen? in tabulis nempe cordis; ut inde juſtus alta mente retineat, quantùm Deo debeat, cujus gratia hoſtem devincit, in ejuſque templo factus eſt columna. Aretas Cæſarienſ. Epiſcop. *In tabulis*; ait, *cordis ſpiritualis columnæ, ſcriptum eſt nomen Dei ſive cognitionis, ſive gloriæ illius, nempe quòd ſanctus ſit, quòd juſtus, ac reddens unicuique juxta opera, quòd omni bonitate plenus, talibúſque gaudens cultoribus.* Ut ſic ex bonis ſibi communicatis cognoſcat juſtus Dei gloriam, ac majeſtatem.

In corde Dei beneficia ſcribenda ut altius cognoſcantur. — Aretas.

246. Quartò, non ait, *Scribam* in eo, ſed *ſuper eum*, ut denotaretur, non ab ipſo victore tantum nomen procedere, ſed de ſurſum ſibi venire. Albertus Magn. *Dicit ſuper eum, ad ſignificandum, quòd nomen Dei bonum venit deſuper ex dono Dei, non ex noſtris meritis.* Secundò, nomen ſcribitur in charta, vel in columna, at nomen filii Dei non ſcribitur in eo, ſed ſuper eum; quia quæ Dei ſunt, licet poſſimus apprehendere, & cognoſcere, ea tamen comprehendere nequimus, cùm ſint maximè ſuper omnem noſtrum captum, illúmque maxime ſuperent. Richard. Victorin. ait *Notandum*, ait, *quod dicit ſuper eum, non in eo quia quidem bonum divinum ſupra nos apprehendere poſſumus, intra nos autem illud comprehendere non valemus. Nomen ergo Dei ſuper electos ſcribitur, quando illud quidem apprehenſibile, ſed incomprehenſibile bonum, quod Deus dicitur, & eſt per naturam illis eſſe, & dici datur per gratiam.*

Nomen filii Dei ex Deo venit, non ex nobis. — Albert. — *Deus poteſt à nobis apprehendi, & cognoſci, non tamen comprehendi.* — Richard.

247. Quintò, *Scribam*, ait, *ſuper eum*; non mittit Dominus miniſtrum ad ſcribendum, ſed ipſemet Chriſtus ſcribit, quæ enim ad ſalutem ſuorum ſpectant, non alicui committit Chriſtus D. ſed ipſe per ſemetipſum exhibet, & præſtat; ſic & in convivio, quod Dominus ſuis parat in cœleſtibus, dicitur: *Faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Luc. 12. n. 37.

Chriſtus per ſemetipſum exhibet miniſterium. — Luc. 12.